

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Jesu Christo Filio Dei, Summo & aeterno Sacerdoti, Joannes ejus
miseratione S. R. E. Presbyter Cardinalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

R E R U M
LITURGICARUM
LIBRI D U O.

JESU CHRISTO FILIO DEI,

Summo & æterno Sacerdoti,

Joannes ejus miseratione S. R. E. Presbyter Cardinalis.

Ereclavit cor meum verbum bonum : Dico Tibi & consecro opera
mea Pontifex sempiterne , qui discessurus de hoc mundo ad Pa-
trem , factus Sacerdos tuæ victimæ , & victimæ Tui Sacerdotii .
Corporis & Sanguinis Tui admirabile sacrificium instituisti . Offe-
ro , inquam , Tibi quod Tuum est ; neque enim dare Tibi aliquid
possim , quod Tuum non sit : neque Tu acciperes , si quid dare
vellem , quod à Te non accepissem . Ideò Te adoro , & gratias ago misericordiae Tuæ ,
quia omnia bona mea Tua sunt ; nihilque meum est , nisi peccatum & infirmitas &
ignorantia , prævaricatoris Adæ miseranda hæreditas , jugumque gravissimum hu-
manæ captivitatis , à quo solvi numquam potero , nisi Tu à servitute me liberes ,
discussâ caligine & depulsa ægritudine , manu Tua omnipotenti . Tu dixisti , Fiat
lux , & facta est lux : cuius fulgore illustratus , has Rerum Liturgicarum Disquisi-
tiones aggressus sum , priscos Ecclesiæ Ritus perlustrans , quantum Tu posse dedisti ,
de cuius plenitudine omnes accipiunt . Intravi ubi aperiuit , afferendo & defenden-
do quæ certa sunt , incerta verò & occulta sollicitè inquirendo , donec Tu , qui ho-
minem doces scientiam , latentem veritatem servis Tuis manifestes . Tuum nunc est ,
hunc qualemcumque laborem benigno favore prosequi , ut Fideles Tui , ad quorum
manus pervenerit , tantum mysterium impensius colant , & profectu accrescente
frequentent : reliqui verò , qui seculis adhæserunt , auspice Te , reducantur in viam ,
à qua infeliciter aberrarunt . Hoc votum meum est in Te & per Te , Jesu Christe
Redemptor mundi , qui omnium desideriorum meorum scopus & meta es , & merces
mea magna nimis .

S f 2

LECTO-

